

1260 dam, cognomento Imifolum, quem ille a suis inter sacra trucidandum curavit. Inde suscepta puerorum cura, quia Theodori præter cognationis necessitudinem, studiosissimus semper videri voluit, pueros quoque, suis opibus firmatis, infanda cæde sustulit. Sed hæc postea ab eo facta dicuntur. Ipse non multo post Theodori mortem Guilelmum, hominem Gallica gente ortum, Achajæ Principem, bello vexare cœpit: nec prius ejus opes infestare destitit, quam barbarum laceffitum ad pugnam excivisset, excitumque ac victum in vincula traxisset. Qua victoria elatus confestim Baldoinum adoritur: cujus copiæ quum adventare dicerentur, constituit Imperator, angustias Pontici maris præsidio retinere, ac, si fieri posset, hostem procul a portu arcere. Cum quammaximis igitur potuit copiis circumvehendam curavit classem, cui Marcum Gradonicum, Venetum urbis prætorem, præesse voluit; certus erat Baldoinus, aut in ultimum discrimen omnia conjicere, aut superbissimum hostem ab instituto cursu avertere. Jam manifesta quadam rerum desperatione vix illi constare poterat, qua vi, quave arte Byzantium amplius retinere posset. Quippe quem ita ad eam diem, Joannis Vatazi primum, inde Theodori filii arma fregerant, ut Burgensibus mercatoribus, a quibus mutuam acceperat pecuniam, Philippum in pignus tradere (quem illi postea Venetiis asservandum curarunt) tegulas plumbeas, quibus publica ædificia tecta erant, preciosissimasque Divorum reliquias, incredibili pecuniarum inopia coactus esset alienare. His itaque calamitatibus circumventus, quadam fere amentia actus, nullo in urbe relicto præsidio, omne robur copiarum ad maris angustias occupandas miserat. Sed quum externum hostem reformidaret, in domesticas incidit insidias. Quidam Graji sanguinis viri, quos (ut levia sunt gentis ingenia) præsentium rerum cœperat pœnitere (quanquam ab initio eos Gallici nominis pertæsos crediderim) rati, quod erat, absentia copiarum, urbem hosti facile tradi posse, cum Palæologo per fidos nuncios agunt, ut certa noctis hora sibi cum quibus videretur copiis adesset: fore, ut in urbem receptus,